

BOLETIN ECLESIASTICO

"Entered at the Manila Post-Office as second-class matter on June 4, 1923"

P. O. BOX, 147.

ORGANO OFICIAL
INTERDIOCESANO
MENSUAL



EDITADO POR LA
UNIVERSIDAD
DE STO. TOMAS

Julio, 1939

Año XVII—No. 192

SECCION OFICIAL

SACRA PAENITENTIARIA APOSTOLICA

INDULGENTIAE APOSTOLICAE

QUAS SUMMUS PONTIFEX PIUS PP. XII, IN AUDIENTIA INFRA SCRIPTO CARDINALI PAENITENTIARIO MAIORI DIE 11 MARTII 1939 IMPERTITA, BENIGNE CONCESSIT CHRISTIFIDELIBUS, QUI ALIQUOD PIETATIS VEL RELIGIONIS OBIECTUM, A SE VEL A SACERDOTE POTESTATEM HABENTE BENEDICTUM, POSSIDENT AC PECULIARIBUS IMPERATIS CONDITIONIBUS SATISFECERINT.

Indulgentiae

1. Quisquis saltem semel in hebdomada recitare consueverit coronam Dominicam vel aliquam ex coronis beatae Marie Virginis, vel rosarium aut saltem eius tertiam partem, vel officium parvum eiusdem B. Mariae Virginis, vel saltem vespervas aut nocturnum cum laudibus officii defunctorum, vel psalmos paenitentiales aut graduales, vel consueverit saltem semel in hebdomada aliquod opus ex illis peragere quae sub appellatione "Operum misericordiae" agnoscuntur, vel Missae interesse, ser-

vatis conditionibus confessionis sacramentalis, sanctae communionis et alicuius orationis ad mentem Summi Pontificis, lucrabitur Indulgentiam plenariam diebus Nativitatis Domini, Epiphaniae, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, Ssmae Trinitatis, Corporis Domini eiusdemque Sacratissimi Cordis, Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis et Immaculatae Conceptionis B. Mariae Virginis; Nativitatis S. Ioannis Baptistae; utriusque festi S. Ioseph Sponsi B. Mariae Virginis; Ss. Apostolorum Petri et Pauli, Andreae, Iacobi, Ioannis, Thomae, Philippi et Iacobi, Bartholomaei, Matthaei Simonis et Iudae, Matthiae atque Omnium Sanctorum.

Si quis vero ad sacramentalem confessionem ac ad sanctam Communionem minime accesserit, corde tamen contritus ad mentem Summi Pontificis aliquantisper precatus fuerit, singulis diebus supra recensitis *partialem septem annorum lucrabitur Indulgentiam.*

Insuper quisquis aliquod ex praedictis pietatis vel caritatis operibus expleverit, quoties id peregerit, *partialem trium annorum Indulgentiam adipiscetur.*

2. Sacerdotes, qui nullo legitimo impedimento detenti quotidie s. Missae sacrificium celebrare consueverint, *Indulgentiam plenariam* festis supra memoratis consequentur, additis sacramentali confessione et oratione ad mentem summi Pontificis.

Quoties vero ipsi Sacrum litaverint, *partialem* quinque annorum Indulgentiam acquirunt.

3. Qui recitationi divini officii tenetur, obligationi huic obtemperans, plenariam Indulgentiam iisdem recensitis festis lucrabitur, servatis pariter conditionibus confessionis sacramentalis, sacrae Communionis et orationis ad mentem Summi Pontificis.

Qui vero hoc peregerit saltem corde contrito *partialem quinque annorum Indulgentiam* singulis vicibus adipiscetur.

4. Quisquis cum primo diluculo, tum meridiano tempore, tum sub vesperam, vel cum primum postea potuerit, orationem vulgo Angelus Domini, tempore autem paschali Regina caeli aut has preces ignorans, quinquies Ave Maria recitaverit; itemque sub primam noctis horam psalmum De profundis vel, si eum nesciat, Pater Noster cum Ave Maria et Requiem recitaverit, *partialem quingentorum dierum Indulgentiam consequetur.*

5. Eandem Indulgentiam acquirat qui quavis feria sexta

de Passione et Morte D. N. Iesu Christi aliquantulum pie cogitaverit, terque Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam devote recitaverit.

6. Qui suam conscientiam excusserit et peccata sua sincere detestatus fuerit cum proposito se emendandi, deboteque recitaverit semel Pater Noster, Ave Maria et Gloria Patri in honorem Ssmae Trinitatis, aut quinquies Gloria Patri in memoriam Quinque Vulnerum D. N. Iesu Christi, *trecentorum dierum Indulgentiam lucrabitur.*

7. Quisquis pro agonizantibus oraverit, pro iis Pater noster cum Ave Maria saltem semel recitando, *partialem centum dierum Indulgentiam adipiscetur.*

8. Qui demum, in mortis articulo constitutus, animam suam devote Deo commendaverit et, rite confessus ac sacra Synaxi refectus vel saltem contritus, Ssmum Iesu Nomen ore, si potuerit, sin minus corde devote invocaverit et mortem de manu Domini, tamquam peccati stipendium, patienter susceperit, *plenariam Indulgentiam consequetur.*

Monita

1. Res aptae ad recipiendam benedictionem pro Indulgentiis Apostolicis lucrandis sunt tantummodo coronae, rosaria, cruces, crucifixi, parvae statuae, numismata, dummodo non sint ex stanno, plumbo, vitro conflato ac vacuo aliave simili materia, quae facile confringi vel consumi possit.

2. Imagines Sanctorum alios ne repraesentent quam rite canonizatos vel in probatis martyrologiis relatos.

3. Ut quis valeat Indulgentias Apostolicas lucrari, necesse est ut aliquam ex rebus benedictis ab Ipso Summo Pontifice vel a Sacerdote facultate praedito, super se deferat aut in domo sua decenter retineat.

4. Ex expressa Ssmi Domini Nostri declaratione, per Apostolicarum Indulgentiarum concessionem nullatenus derogatur Indulgentiis a Summis Pontificibus iam alias forte concessis precibus, piis exercitiis vel operibus recensitis.

Datum Romae, ex aedibus S Paenitentiarum Ap., die 11 Martii 1939.

L. CARD. LAURI, *Paenitentiarum Maior.*

L. † S.

S. LUZIO, *Regens.*

ARCHIDIOCESIS DE MANILA

PROVINCIA ECLESIASTICA DE LA ARCHIDIOCESIS DE MANILA

Temas de sermones catequísticos para el año 1939 aprobados por los Excmos. Sres. Obispos de la Provincia Eclesiástica del Norte.

TERCER TRIMESTRE

- July 2—Dom. 5a. post Pent.—Subject: 10th. Command.
Thou shalt not covet thy neighbor's goods.
- July 9—Dom. 6a. post Pent.—Subject: Sin in general.
- July 16—Dom. 7a. post Pent.—Subject: Classification of Sins.
- July 23—Dom. 8a. post Pent.—Subject: Punishment of Sins.
- July 30—Dom. 9a. post Pent.—Subject: Remedy against Temptations to Sin.
- Aug. 6—Dom. 10a. post Pent.—Subject: Grace in general.
- Aug. 13—Dom. 11a. post Pent.—Subject: How Grace is lost.
- Aug. 15—Assumption (Tuesday).—Significance of the Feast.
- Aug. 20—Dom. 12a. post Pent.—Subject: How Grace is increased.
- Aug. 27.—Dom. 13a. post Pent.—Prayer in general.
- Sept. 3—Dom. 14a. post Pent.—The Lord's Prayer.
- Sept. 10—Dom. 15a. post Pent.—The Hail Mary.
- Sept. 17—Dom. 16a. post Pent.—The Sacraments in general.
- Sept. 24—Dom. 17a. post Pent.—Subject: Baptism.



SECCION DOCTRINAL

DE REQUISITO CONSENSU SUPERIORIS COMPETENTIS AD LEGITIMAM CONSUETUDINEM CANONICAM

1.—Secundus iuris fons post legislatorem est consuetudo, sive usus quo populus voluntatem suam ac rationem ordinis manifestat in rebus agendis: nam non modo verbis sed et opere voluntas hominum exterius panditur. Hinc in ipso capite Codicis I. C. post Titulum I De Lege, apponitur alter *De Consuetudine*, quam Legislator causam iuris canonici admittit. Verum consuetudo ecclesiastica peculiare habet quod nequit vim iuris obtinere priusquam a Superiore ecclesiastico approbetur, secus ac in societate in qua multitudo sibi condere legem potest; quia multitudo fidelium nulla potestate in hunc finem donatur in Ecclesia, ideoque illius mores sine Superioris illis consentientis interventu vim ligandi aut solvendi nequeunt habere. Ideo primus canon tituli De Consuetudine in Codice agit de necessitate consensus Superioris ecclesiastici ut conditione prima ad legitimam consuetudinem.

De hoc necessario consensu Superioris competentis disserere intendimus in duplici capite: primo *qualis* debeat esse consensus ille quaerendum est; deinde *cuius* ille consensus, seu quis debeat illum praestare. Ordo prima facie illogicus apparet, sed qui nobis brevitati ac perspicuitati studentibus aptior iudicatur.

QUALIS DEBEAT ESSE CONSENSUS AUCTORITATIS COMPETENTIS.

I

Quid sit et quotuplex consensus.

2.—Consensus est actus voluntatis id quod sibi intellectus exhibet acceptantis. A materiali actu sentiendi ad significantum spiritualement actum vocis huius vis extensa est, quasi diceretur voluntatem sentire idem quod mens sentit. Nam volun-

tatis actus est tendere in obiectum apprehensum ab intellectu ut conveniens; et proinde consensus voluntatis est actus quo fertur in rem quam ei intellectus offert ut aptam determinato fini assequendo, illamque amplectitur. *Consentire* idem usu significat quod *approbare*; hoc autem verbum praecipue significat *iudicium* de aliqua re dare *favorabile*; ex quo proinde sequitur ut voluntas feratur etiam in obiectum approbatum. Exinde aliquis dicitur alterius actioni consentire cum idem iudicat in aliquo negotio, et quod factum est in ordine ad illud ratum habet, vel quod faciendum est firma voluntate vult et ipse.

Haec autem plurium consensus in aliquid vario modo contingere potest. Potest namque quis *approbare* seu *consentire* in id quod alius fecit aut intendit facere, at sine auctoritate aliqua in re de qua agitur vel super agentem; et potest quis *consentire* ita ut veniam concedat aliquid fieri, et rite facto determinatos effectus agnoscat quos sine illa concessione factum non posset habere; denique eo modo potest esse alicuius consensus ut ex eo id quod ab alio fiet vel factum est robur habeat, quia illius consensus requiritur ad hoc quod sit rite factum, ita quod sine illius acquiescentia firmitatem nullam possit habere quod fit. Consensus alterius in id quod aliquis agit potest praestari antequam fiat, dum fit, et postquam factum est.

3.—Consensus qui est actus voluntatis, internum aliquid est agenti, et exterius effectum aliquem non habet nisi aliquo signo pandatur. Ideo dum loquimur de alicuius consensu in id quod ab altero fit, de consensu qui externe manifestatur tantum loqui possumus. Nam agenti voluntas aliorum nota esse alio modo nequit. Manifestatio autem extrinseca voluntatis pluribus modis fieri potest: verbo, scripto, nutu, actione; vel ex ipso silentio potest aliquando sufficienter colligi tacentis voluntas.

4.—Iuxta diversum modum quo competens Superior consuetudini populi consentit, diversas species consensus canonistae distinguunt. Communiter tres species numerantur: *legalis* scilicet, *expressus*, et *tacitus*. Legalem intelligunt omnes illam voluntatem legislatoris, lege contentam, qua vult antecederet existentiae consuetudinis ut omnes consuetudines requisitis conditionibus praeditae vim iuridicam habeant; est consensus qui

indirecte (1) datur per legem quae consuetudinis condiciones determinat. *Expressus* ille est qui apertis verbis continetur illius cui competit consensum dare. *Tacitus* ille qui eruitur ex modo agendi Superioris consuetudinem cognoscentis, qui potens eam impedire, sua actione vel actionis omissione implicite ostendit se illi assentire. Hic proinde existere non censetur quoties Superior tacet silentio, ut dicitur, *prudentiali* vel *oekonomico*, ne scilicet ex sua oppositione consuetudini maiora mala proveniant quam ex ipsa consuetudine evenire possunt (2).

Legalis consensus dicitur quoque *generalis* et *iuridicus*; *expressus* autem et *tacitus* species sunt consensus *specialis*, sive *particularis* (3) vel *personalis* (4), prout ab aliis vocatur.

5.—Auctores nonnulli legalem consensum *praesumptum* vo-

(1) CANCE y ARQUER, *El Código de Derecho Canónico*, lib. I, tit. II, n. 58. Tom. I, pag. 44.—Barcelona, 1934.

(2) JUSTO DONOSO, *Instituciones de Derecho Canónico*, lib. I, cap. V, n. 44, pag. 49. Friburgi Brisg. 1907; WERNZ, *Ius Decretalium*, Part. I, tit. X, § II, n. 188. Prati, 1913, vol. I, pag. 288; BARGILLIAT, *Praelect. Iur. Can.*, Tract. I, cap. V, art. II, n. 123, pag. 94. Ed. 34a, Parisiis, 1921; BADI, *Instit. Iur. Can.*, lib. I, tit. II, n. 60, pag. 60. Ed. 3a, Florentiae 1921; COCCHI, *Comment. in C.I.C.*, lib. I, cap. VIII, n. 86, tom. I, pag. 122. Augustae Taurinorum, 1920; PRUMMER, *Manuale Iur. Ecclesiastici*, lib. I, cap. II, q. 19, n. 3, pag. 17. Friburgi Brisgoviae, 1920; CHELODI-BERGNATOLLI, *Ius de Personis praemisso...* *De Principiis et Fontibus I. C.*, cap. V, III, n. 71, pag. 117. Tridenti, 1922; OJETTI, *Comment. in C. I. C.* lib. I, tit. II, pp. 171-172. Romae, 1927; CORONATA, *Instit. Iur. Can.*, lib. I, tit. II, art. II, n. 39, tom. I, pag. 40. Augustae Taurinorum, 1928; AUGUSTINE, *A commentary on the New Code of Canon Law*, Book I, title II, vol. I, pp. 106-107. Ed. 6a, 1931; CAPPELLO, *Summa Iur. Can.*, lib. I, cap. III, art. VII, n. 111. vol. I, p. 114. Romae, 1932.

(3) REIFFENSTUEL, *Ius Canonicum*, lib. I, tit. IV, § V, n. 138. vol. I pag. 291. Parisiis, 1882; VERMEERSCH-CREUSEN, *Epitome I. C.*, lib. I, tit. II, n. 109. vol. I, pag. 98. Ed. 3a, Mechliniae-Romae, 1927; A. VAN HOVE, *Commentarium Lovaniense in C. I. C.*, Vol. I, tom. III: *De Consuetudine*, cap. III, art. 2, § 2, n. 65, pag. 63. Mechliniae-Romae, 1933.

(4) SUAREZ, *De Legibus*, lib. VII, cap. XIII, n. 6, pag. 543. Antverpiae, 1614; PIRHING, *Ius Canonicum* lib. I, tit. IV, sect. I, § III, xv. vol. I, pag. 106. Dillingae, 1722; BINER, *Apparatus Eruditionis ad Iurisprudentiam*, Part. I, cap. VII, § I, n. 4. vol. I, pag. 142. Augustae Vindelicorum et Friburgi Brisg., 1767; GOUSSET, *Exposition des principes du droit canonique*, chap. XXIII, n. 384, pag. 360. Paris, 1859; H. J. ICARD, *Praelect. I. C. habitae in Seminario S. Sulpitii*, Proleg., § 3, n. 11. tom. I, pag. 14. Parisiis, 1893, ed. 7a; HUGUENIN-MARC, *Expositio Methodica Iur. Can.*, Part. Gen. lib. I, tit. II, cap. I, art. III, n. 104, pag. 43. Lyon, 1903.

cant (5), dum alii hanc denominationem consensui personali tacito attribuunt (6), qui etiam *interpretativus* ab aliis dicitur (7). Consentire aliquis *praesumitur* cum factum ignorat quod rationibus sufficientibus ponitur, quae scilicet moverent eum ad consentiendum, si eas sciret. Quapropter si consensus legalis est consensus praevis existentiae consuetudinis, et ideo *realiter* existens, non apparet quomodo praesumi possit, cum praesumatur id quod nescitur an existat sed ex coniecturis supponitur existere. Magis convenit appellatio praesumpti consensui personali tacito, quia Superior potest ex multis rationibus tacere quin actum approbet. Sed cum tradunt notionem consensus taciti omnes dicunt illum existere cum Superior sciens (factum) et prudens (potens sine incommodo illi se opponere) sinit consuetudinem cursum suum peragere. Ideo generaliter reiiicitur talis appellatio (8).

(5) SANTI-LEITNER, *Praelect. Iur. Can.*, lib. I, tit. IV, nn. 1, 16. vol. I, pag. 40, 48. Pustet, 1899; ZITELLI *Apparatus seu Comp. Iur. Ecclesiastici*, Part. I, lib. I. sect. I, tit. I, cap. II, art. II, n. 121. vol. I, pag. 90. Romae, 1907; HUGUENIN-MARC, loc. cit.; BLAT, *Comment. Textus Iur. Can.*, lib. I, tit. II, n. 86. tom. I, pag. 111. Romae, 1921; DALMACIO IGLESIAS, *Instituciones de Derecho Ecclesiástico*, Parte General, tit. II, cap. II, tom. I, pag. 400. Barcelona.

(6) GOUSSET, loc. cit.; VECCHIOTTI, *Instit. Iur. Can. ad usum Seminariorum accommodatae*, Prolegom, cap. II, § 28. vol. I, pag. 43. Ed. 18a, Augustae Taurinorum, 1883.

(7) GONZALEZ TELLEZ: "sufficit *interpretativus*, vel *tacitus* ex ipsa tolerantia praesumptus". Legalem consensum nec nominat. *Comment. perpetua in singulos quinque libros Decretalium*, lib. I, tit. IV, cap. I, n. 12. tom. I, p. 154. Lugduni, 1715. MARTINEZ DE PRADO, *Theologiae Mor. Quaestiones praecipuae*, tom. I, cap. III, q. 14, § I, n. 5, pag. 188. Compluti, 1654; MAROTO, *Instit. Iur. Can.*, lib. I, tit. II, n. 252. tom. I, pag. 268. Matriti, 1919.

(8) CAPPILLO. loc. cit.; CHELODI-BERGNATOLLI, loc. cit. nota (2)—CICOGNANI, *Comment. ad lib. I Codicis*, tit. II, can. 25, pag. 157. Romae, 1925. Ibi *expressum consensum* dicit qui Superioris explicitis verbis, litteris, nutibus continetur; *tacitum*, qui ex facto Superioris eruitur: *interpretativum* (insufficientem pro consuetudine) cum consensurus esset Superior, si factum sciret; *praesumptivum* (qui est ipse *legalis*) qui silentio constat Superioris scientis, et cum posset impedire, tacentis.—SANGUINETTI (*Iuris Ecclesiastici Instit.*, Prolegom, Part. altera, tit. IV, n. 124, pag. 102. Romae, 1901) distinguit *expressum*, quo natura consuetudinis disparet, et *tacitum* vel cum scientia legislatoris vel sine illa, quo postremo modo est ille *legalis* communiter dictus.—CERBONI (*De Iure et Legum Disciplina*, lib. VII, § iij, pag. 295. Romae, 1776) distinguit *approbationem facto* vel *lege* (posteriori, ut videtur, consuetudini facti), *meram tolerantiam*, et *indulgentiam*, quae consensui tacito aequivalet prout communiter hic intelligitur.—TOSO (*Commentaria minora*, lib. I, tit. II, tom. I, pag. 80. Tiferni Tiberini, 1921) distinguit *consensum generalem*, qui semel pro semper pro cuiusdam generis factis datur, et *specialem*, qui pro

6.—In canone 25 statuitur consuetudinem habere vim in Ecclesia unice ex consensu competentis *Superioris* ecclesiastici. Et quamvis Superiores ecclesiastici habeant potestatem legislativam, non semper necessario habent. Unde non est idem consensus Superioris et consensus Legislatoris; et si canon voluisset Legislatorem significare, illum verbum clarissimum apponeret. De hoc quaestio movetur in capite secundo: hic tantum volumus notare quod ex parte auctoris qui consensum praebet, consensus distingui potest: *Legislatoris*, vel generalis vel particularis, et *Superioris*.


Iterum consensus potest a iure dari per legem, vel ab homine, per actum nempe Superioris vel Legislatoris. A iure quidem datum esse generalem consensum pro omnibus consuetudinibus quae conditiones requisitas habeant, sive illae consuetudines sint praeter sive contra legem, tenent omnes. At huiusmodi voluntas legislatoris supremi, qua vult ut omnes consuetudines legitimae serventur, non solum generali modo continetur in cc. 27 et 28, prout continebatur in iure veteri in c. 11, X, *de consuetudine*, I, 4; sed etiam quandoque exprimitur in lege determinatam materiam ordinante; non ita quod *determinata consuetudo* approbetur, sed quod dicatur servanda legitima consuetudo *circa specialem materiam*. Exempli causa conferri possunt cc. 136, 162, 168, 171, 408, 417, § 3, 831, etc. Igitur consensus legalis vel iuridicus potest dividi in *generalem* et *specialem*, seu pro omnibus consuetudinibus legitimis, et pro consuetudinibus generaliter sed in determinata materia. Uterque autem de se etiam posterior consuetudini potest esse (Cfr. c. 5). De

peculiari facto. Hic autem est vel *expressus*, si verbis, litteris, nutibus; vel *tacitus*, si indirecte et implicite per factum; vel denique *praesumptivus*, si Superior sciens prudens non resistit consuetudini. Ante consuetudinem inceptam idoneus habetur solummodo consensus generalis qui lege datur; alii post consuetudinem inceptam vel perfectam.—MICHIELS (*Normae Generales I. C.*, vol. II: De Consuetudine, cap. III, art. I. pag. 31. Lublin, 1921) reicit iure ut insufficientem consensum *mere praesumptivum* vel *interpretativum*, et *mere internum*, quippe qui voluntatem Superioris revera nullo modo externe patefaciant. Verum autem consensum distinguit *generalem*, quo lege approbantur sive ante sive post factum consuetudines determinatis qualitatibus ornatae, et *specialem*, pro singulari scilicet consuetudine. Isque est vel *expressus*, si verbis, litteris, nutibus; vel *tacitus*, si actione Superioris vel omissione actionis manifestetur. Operat autem ut *expressus* et *tacitus* rectius dicantur *explicitus* et *implicitus* (nam uterque est *expressus*), prout voluntas manifestetur signo externo *directe* significante, vel nonnisi *indirecte* et ope *deductionis*.

facto iam datus est modo generali pro quibuscumque consuetudinibus futuris (9).

Personalis autem consensus, seu ab homine, qui particularis est, *expressus* seu *explicitus* est si manifestetur signo directe et ex se voluntatem significante, verbis, litteris, nutibus; et quidem vel concomitans cursum consuetudinis in fieri, vel consequens consuetudinem post factum: antecedens autem factum consuetudinis proprie esse nequit. Est autem *tacitus* seu *implicitus* (sive concomitanter, sive consequenter) si manifestetur medio quod de se non directe significat voluntatem, sed ex adiunctis tantum, puta facto Superioris, vel ipsius agendi omissione seu silentio cum sine inconvenienti aliquo possit se opponere: proinde requiritur tacitus consensus qui sit vere *approbativus*, non qui meram tolerantiam facti importet.

Praedictorum conspectum sequenti schemmate exhibemus:



(9) De natura consensus legalis plura dicemus in III articulo.

II

Exponuntur sententiae de qualitate consensus requisiti et sufficientis.

7.—Necessitatem consensus Legislatoris pro consuetudine ecclesiastica negavit Schola Historica, quae consuetudinis, quatenus ius est, fundamentum et originem posuit in persuasione fidelium aliquid esse necessarium vel conveniens ut disciplina Ecclesiae reguletur in ordine ad suum finem, eo ferme modo quo in rebus fidei existit persuasio fidelium (fundata divina assistentia Ecclesiae promissa, et traditione) quod aliqua veritas sit de fide habenda. Et cum omnes teneantur bonum Ecclesiae persequi, et proinde servare quae ad illum sunt necessaria, sequitur ut consuetudo tali persuasione fundata absque ullo praevio vel concomitanti consensu auctoritatis ecclesiasticae omnes teneat.

Verum, supposita tali persuasione, ad summum ostendere posset aliquid iure vel naturali vel divino-positivo esse praeceptum, itemque posset manifestare convenientiam iuris alicuius constituendi, non autem obligationem iure positivo humano inducere, quae voluntate eorum qui potestatem regiminis obtinent unice causatur (1).

In Ecclesia autem populus nulla potestate legislativa praeditus est, sed ipsa divinitus est constituta societas inaequalis, ut scilicet alii regantur alii regant multitudinem fidelium hierarchico ordine constituti. Et hi soli obtinent potestatem regiminis vel ab ipso Deo vel ab altiore Superiore ecclesiastico, ex toto vel ex parte, non a multitudine fidelium sibi communicata (2). Et sicut illi tantum qui, in hierarchia constituti, potestatem habent legislativam possunt legem ferre qua fidelium ordinet actiones ad finem Ecclesiae, ita ii quoque tantum possunt usui a fidelibus invento voluntatis suae auctoritatem adiacere ut ille usus ius constituat sicut lex obligans, nam consuetudo le-

(1) Cfr. MICHIELS, *op. cit.*, cap. III, art. I, pp. 28-30; A. VAN HOVE, *op. cit.*, cap. III, art. 2, § 1, n. 64. pp. 61-62.

(2) Cfr. Pius X, Encycl. *Vehementer nos*, 15 febr. 1906. F. J. C., III, pag. 664; Pius VI, Constit. *Auctorem fidei*, 28 aug. 1794. F. J. C., II, pag. 687.

gem imitatur. Igitur sicut “in lege Principis *voluntas obligandi*, in consuetudine *assensus obligandi* requiritur” (3).

Ergo ubi agitur de consuetudine generali inducenda requiritur consensus aliquis illius qui legem generalem omnibus imponere potest. Ubi agitur de consuetudine particulari sufficit certe consensus illius qui potest generali consentire, at sufficit quoque illius qui particularem legem potest dare, etiamsi ille qui generalem potestatem habet cuique alter subiicitur, consensum non dederit antecedentem pro consuetudine particulari, dum tamen illum non denegaverit: tunc enim limitat inferioris potestatem ut possit consuetudini particulari consentire.

8.—Consensum legalem datum esse pro omnibus consuetudinibus, sive praeter sive contra legem, res est extra dubium posita. Quoad ius vetus pauci negaverunt; post Codicem I. C. nullus ambigit.

Celebre est in Decretalibus Gregorii IX cap. *Cum tanto* (cap. 11, X, *de consuetudine*, I, 4) ex quo, a sensu contrario, constat de consensu legali generali pro consuetudinibus contra legem. In multis aliis locis agnoscitur vis consuetudinis praeter legem. In Codice Iuris Canonici legalis consensus datur generalissimus tum pro consuetudine contra legem in can. 27, tum pro consuetudine praeter legem in can. 28. Insuper datur generalis consensus pro omni consuetudine in determinata materia in pluribus aliis locis, cum apponuntur clausulae: “*Salva legitima consuetudine*”, “*nisi aliud ferat legitima loci consuetudo*”, et his similes. Imo legalis etiam datur in can. 5 pro consuetudinibus centenariis et immemorabilibus Codici contrariis, non tamen ab illo reprobatis, si Ordinarius iudicet eas prudenter submoveri non posse.

9.—Questio tamen est an hic consensus generali modo per legem concessus sit sufficiens ut consuetudo possit habere vim legis, an vero particularis consensus pro unaqualibet consuetudine requiratur. Seu brevius: qualis consensus sufficiat ut consuetudo habeat vim legis? Quaestio est haec nec facilis nec inutilis, quae iam ab antiquo agitur, et quam plures autumant

(3) ZITELLI, *loc cit*, art. II, § 3, n. 121, pag. 90.

a Codice solutam esse in sensu omnimodae sufficientiae consensus legalis (4).

10.—Omnes consentiunt certe sufficientem esse consensum particularem, illum scilicet qui praebetur a Legislatore vel qui legem tulit vel qui Superior est illi, si contra legem sit consuetudo; quocumque autem si praeter legem in materia competentiae eius non sublata. Hic autem consensus idem operatur tacitus ac expressus. Verum ut tacitus revera adsit, oportet ut Superior notitiam praevidiam habeat consuetudinis facti; ut eius silentium vel modum agendi non prudentia causet metusve maioris mali futuri si loqueretur, sed voluntas annuens et approbens id quod fit; ut sit scilicet non silentium *oeconomicum* sed usus *approbativum*.

Id tamen Sanguinetti non placet (5), qui non idoneum habet expressum et tacitum consensum propterea quod non "satis sit ad intimam consuetudinis naturam intelligendam", et solus legalis aptus sit "ad modum intelligendum quo in consuetudine relatio habetur ad legislatoris voluntatem, prout ab ipsa essentia legis requiritur". Hinc veram consuetudinem via conniventiae inductam non admittit.

* * *

11.—Sed insuper *requiri* ad consuetudinem *particularem consensum*, illum scilicet qui praesupponit scientiam et patientiam illius qui potest ius condere, tenuerunt aliqui ante invec-tam theoriam de consensu legali, quo nempe legislator antecedenter approbat et vim legis tribuit consuetudinibus certis quibusdam conditionibus praeditis. Ita Ioannes Teutonicus: "qualiter potest populus abrogare canonem cum non possit condere canonem? . . . Sed dic quod non potest abrogare *nisi per expressum consensum Papae*" (6). Glossa ordinaria: "Ad hoc ergo ut consuetudo iuri communi praeiudicet requiritur . . . Item

(4) Id videtur docere TOSO, *op. cit.*, tit. II, ad can. 25, n. 1, pag. 80. Id quoque eruitur ex verbis CAPPELLO, *loc. cit.*, n. 111, pag. 115, et OJETTI, *op. cit.*, ad c. 25, n. 3.

(5) *Loc. cit.*, n. 126, pag. 103.

(6) GLOSSA, ante c. 4, D. VI, v. *Abrogatae*. (*Decretum Gratiani emendatum et notationibus illustratum una cum glossis* . . . Lugduni, 1584, col. 11.)—Ad c. 7, D. VIII, v. *consuetudinem* (ibid. col. 25) idem Ioannes: requiritur "quod sit de scientia principis inducta, non tamen *de tolerantia*".

quod ex certa scientia et non per errorem sit inducta, ... et *sciente illo, qui potest ius condere*"... (7). Innocentius IV: "Oportet ut sit inducta *de scientia eius qui super eo ubi inducitur habet ordinariam iurisdictionem et potestatem condendi legem*... et non sufficit toleratio" (8).

12.—Postquam praevaluit doctrina de sufficientia consensus legalis non defuerunt magnae notae scriptores qui oppositum sentientes adhuc requirebant particularem consensum ut consuetudo vim legis possit habere. Ii omnes priores sunt novo Codici Iuris Canonici; post huius promulgationem nullus est qui consensui legali valorem deneget ut ipso solo consuetudo firmetur. Qui particularem exigunt consensum multiplici ratione ducuntur.

Id imprimis allegant, legislatorem non posse approbare id cuius notitiam ullam non habet. Et quidem absonum a ratione est ut legislator ratam habeat consuetudinem cuius rationabilitas supra legem existentem ipsi est ignota, cuius obiectum et originem nescit: quae forte initium habuit ex ignorantia legis sive ex iuris errore, aut etiam sub influxu metus fuit inducta, vel denique procedit ex systematica oppositione praxi ac spiritui Ecclesiae aut ex praeconceptis opinionibus adversus Sanctam Sedem. Igitur necessaria est notitia consuetudinis in particulari ut possit a legislatore approbari, saltem modo tacito; secus nulla consuetudo vim legis obtinere potest (9). "Consensus (ait Cerboni) est actus voluntatis; hunc autem actum numquam

(7) C. 11, X, *de consuetudine*, I, 4, v. *legitime praescripta*. (*Decretales D. Gregorii IX cum Glossis diversorum*, Lugduni, 1624, col. 96).

(8) *Apparatus super Decretalium libris*, Parisiis, 1514: in Rubricam *De Consuetudine*—Apud A. VAN HOVE, pag. 49.

(9) GOUSSET, *op. cit.*, chap. XXIII, n. 389, pag. 365; MARTINEZ DE PRADO, *op. cit.*, cap. III, q. 14, § 3, n. 11, pag. 189-190; DIANA... *Coordinatus, seu Omnes resolutiones morales eius ipsissimis verbis ad propria loca et materias fideliter dispositae ac distributa*, tom. VI, tract. II, resol. X, n. 6. Similiter opinari videtur GONZALEZ TELLEZ (*op. cit.*, lib. I, tit. IV, cap. I, n. 12, pag. 156): "non tamen desideratur consensus personalis, ut communi sententia Interpretum receptum est; nec expressus, vel positivus; sufficit enim interpretativus, vel tacitus ex ipsa tolerantia praesumptus, ut ex D. Thoma docet Suarez... Si tamen per errorem Princeps consentiat, non sufficit talis consensus quia consentire non intelligitur qui errat... tandem desideratur ut consensus sit rationabilis, id est iusta ratione nitatur, ut rationi non repugnet, quae lege statui potuit, sive quae iusta censeretur et obligaret, (si) lege statuta esset; eadem enim est materia legis, iustitiae, et consuetudinis"...

voluntas exercere potest, si intellectus non ostendat obiectum ipsius consensionis; quum fieri non possit, ut voluntas in incognitum feratur. Quocumque ergo modo in rem aliquam consentiamus, semper oportet, ut illam antea noverimus. Quia vero nullus est dubitandi locus, quin legislator eam consuetudinem noverit, quam scripto, vel facto probavit: contra autem dum de eius consensione per indulgentiam in eandem agitur, dubium aliquod de cognitione huiusmodi consuetudinis superesse potest; ideo esse perspectum debet, eum novisse illam consuetudinem, in quam sua indulgentia consentiat, *ita ut numquam supponi possit, legislatorem indulgentia consensisse in illam consuetudinem, quam non noverit*" (10).

13.—Hinc nullum est argumentum quod ex cap. 11, X, I, 4 trahitur pro sufficientia solius consensus legalis. Etenim illud caput asserens consuetudinem non debere rationem aut legem vincere, nisi sit rationabilis et legitime praescripta, non ideo asserit haec duo sufficere quin sit necessarius verus et particularis consensus legislatoris, sicut non excludit quod consuetudo sit generalis in communitate, uniformis et publica (11). Scilicet, ibi non statuitur quod omnis consuetudo ex solo facto quod sit rationabilis et legitime praescripta *debeat* habere vim legis, sed tantum quod si illas condiciones possideat *possit* habere vim legis, ut illa sit unica via qua consuetudo possit ius constituere. Nam "per hoc quod iure divino, et humano sit determinatum, quam vim habeant iustae leges, non excluditur necessitas consensus, et praecepti legislatoris; ergo pariter dicendum in consuetudine, quae est ius non scriptum" (12).

Alia ratione petit Pirhing consensum particularem, sed pro consuetudine praeter legem tantum; quia scilicet illam praescriptioni assimilat, et dum populus hoc modo potest ab aliqua obligatione liberari, novam tamen inducere praescriptione non potest, quia populus hanc potestatem legem constituendi non potest praescribere. Sic ille: "Ad inducendam consuetudinem iuris constitutivam, per quam novum ius non scriptum introdu-

(10) CERBONI, *op. cit.*, lib. VII, cap. VII, § vij. pp. 296-297. Cfr. cap. IV, § ix, pag. 285.

(11) GOUSSET, *loc. cit.*, n. 386, pag. 362; PONCE DE LEON, *De Matrim.*, lib. 6, cap. 6, n. 5, apud DIANA, resol. X, n. 2.

(12) MARTINEZ DE PRADO, *loc. cit.*, n. 12.

citur, omnino requiri videtur scientia et personalis consensus, saltem tacitus Principis seu Superioris, quia non tam facile conceditur populo, non habenti potestatem legem ferendi, potestas introducendi novam consuetudinem, quae vim legis habeat, quam abrogandi legem antiquam per contrariam consuetudinem, quia nova consuetudo iuris constitutiva non potest introduci, sine usurpatione potestatis seu iurisdictionis, quae populo in causis, saltem ecclesiasticis, non competit, cum ea solis praelatis a Christo concessa sit; . . . At vero quando abrogatur lex per contrariam consuetudinem, sive potius desuetudinem seu non observationem legis, tunc non exercetur ulla iurisdictione, quia non agitur de nova legis obligatione imponenda, sed obligatio legis praeexistentis dissolvitur a populo; et quidem non directe et potestative, sive via iurisdictionis, tollendo obligationem legis, sed indirecte sive via praescriptionis, eximendo se a legis obligatione, per possessionem immunitatis a lege, cum bona fide, diuturno tempore continuatam" (13).

14.—Imo ex ipso cap. ult. de consuetudine arguit Vazquez pro necessitate consensus particularis. Nam utique ibi tantum requiritur ut consuetudo sit rationabilis et legitime praescripta; sed "cum dicitur *legitime praescripta*, intelligitur etiam ut sit consensu Principis confirmata; ut autem eo sit confirmata debet ipsi principi esse nota, ut dictum est, neque adversarii ullo modo oppositum vel leviter probare possunt" (14). Ita quoque Fagnanus: "Littera praedictae decretalis, dum requirit ut longaeva consuetudo, ad hoc ut deroget iuri positivo, sit *legitime praescripta*, satis aperte innuit ultra tempus ad praescriptionem inducendam, alia etiam debere concurrere, quae implicite continentur sub illo verbo. . . Inter haec autem illud est praecipuum, ut inducta fuerit *sciente* et *patiente* principe, qui potest in his ius condere. . . Non satis est, ut putat Sanchez, scientia illa generalis, quam pontifex habuit dum edidit constitutionem; sed

(13) *Op. cit.*, lib. I, tit. VI, sect. I, § III, xvij, p. 106. Addit tamen statim, probabile esse ut etiam in consuetudine praeter legem sufficiat consensus generalis pro illa contra legem datus in cap. ult. De Consuet.; quia licet ibi de sola consuetudine contra legem sermo sit, minus tamen voluntati Principis derogatur per consuetudinem praeter legem.

(14) VAZQUEZ, *Disputationes in I-II D. Thomae*, disp. 177, n. 20. Compluti, 1605, tom. II, pag. 310.

requiritur *specialis et individua* secundum opinionem quam sequitur Rota”... (15).

15.—Obiici potest: supposita necessitate consensus particularis fere nulla et certe paucissimae consuetudines iuris esse possent, cum impossibile sit ut omnes consuetudines possint a Principe cognosci. Atque ita multoties necessitati normam iuridicam constituendi subveniri non posset, cum consuetudo quae esset unicum medium supplendi defectus legum valida esse non posset propter defectum approbationis in particulari. Ad quae respondent Vazquez et Lorca, nihil hoc referre, quia si non est possibile omnes consuetudines a principe cognosci, neque etiam est necessarium ut omnes usus, etiam qui sint rationabiles, approbentur et in legem transeant. Falsum praeterea est quod nonnulli affirmant, leges ea conditione ferri, ut consuetudine abrogari possint, et hunc esse consensum legislatoris (16).

16.—Ulterius aliqui requirunt ut hic particularis consensus *expresse* concedatur a Principe. Ita Ponce de Leon, Lorca et alii (17). Idque confirmant praecipue ex aliquibus decisionibus Rotae quas afferunt. Expressus quoque consensus videtur requiri in hic verbis Clementis XIII: “Praeterea constitui eam (consuetudinem) volumus multiplicitate, ac frequentia actuum, non levium sed gravium, quos constet gestos fuisse animo praescribendi iurisdictionem saecularem, non ex gratia vel conniventia toleratos, neque tales, qui fieri fortasse potuerint *citra certam praecisamque scientiam et acquiescentiam vel Nostram*, Nostrorumque pro tempore Succesorum, vel saltem Supremorum Magistratum Nostrae huius Urbis, quos praecipue ad publicam persequendam vindictam criminum proponere consuevimus: nullam prorsus in re tam gravi haberi mandantes rationem de scientia et patientia rectorum localium, aliorumque inferiorum magistratum saecularium, quibus quandoque vel oscitantibus,

(15) FAGNANUS, *Commentaria in lib. IV Decretalium*, tit. de Cognat. spirit., cap. *Utrum autem*, nn. 17-18. Venetiis, 1764, pag. 60. Idem docet in lib. I, tit. de *Treuga et Pace*, n. 74.

(16) VAZQUEZ, *loc. cit.*; LORCA, tom. 2, disp. 29, de *legibus*, num. 2, apud DIANA, *loc. cit.*, resol. X, nn. 4, 5.

(17) Cfr. DIANA, resol. X, n. 6; PASSERINI, *Commentaria in I Librum Sexti Decretalium, De Consuetudine*, cap. I, quaest. I, art. VI, n. 160. pag. 272. Venetiis, 1764. Cfr. quoque FAGNANUM, *loc. cit.*

vel metu quodam reverentialem conniventibus, ac tolerantibus nequaquam licere, ac licuisse statuimus, gratia, acquiescentia ac patientia sua legitimam facere consuetudinem, qua mandata eis iurisdictio, perturbato utriusque potestatis ordine, minuitur. Si ea itaque consuetudo afferatur, qualem modo statuimus, illam volumus custodiri ac servare, inductam vero aliter reprobamus, et nullius esse roboris Nostra hac Constitutione decernimus" . . . (18).

17.—Generalis tamen sententia est inter eos qui particularem consensum postulant, illum non necessario debere esse expressum, sed sufficere tacitum. Qui tamen non continetur in simplici silentio legislatoris, sed oportet ut ex adiunctis appareat illud silentium esse virtualiter approbativum, et non procedere ex ignorantia consuetudinis, aut etiam ex prudentia ne graviora incommoda orientur. Nam etiam si Superior consuetudinem sciat tacere potest ut a maiori malo caveat. Ideo haec iacita acquiescentia debet aliquo modo *positivo* ostendi, sive directe sive indirecte, at semper tali modo ut illis quorum interest dubium esse rationabile non possit de Superioris voluntate. Quae quidem voluntas adest cum Superior sciens prudens consuetudini non obsistit cum commode possit, ut compendiosa et accurata oratione dicitur, vel etiam cum ipse consuetudini sese accommodat. "Nam quae indulgentia quadam ducti fieri sinimus, quamvis ex nostra determinatione non proficiantur, tamen ab aliis instituta retineri consentimus, volentesque patimur, ut persistent: iis igitur adhaeremus, ac nostrum assensum praebemus". (19).

Atque probabiliter, ut opinatur Goussier, hoc significare volunt qui consensum *expressum* necessarium aestimant: scilicet expressum consensum vocant qui *manifeste* (20) apparet, modo sive directo sive indirecto, verbis aut factis aut etiam ac-

(18) Constit. *Praestat Romanum Pontificem*, apud LUCIDI, *De Visitatione Sacrorum Liminum*, vol. III, pag. 172. Romae, 1899. Agitur de consuetudine qua causae laicorum etiam criminales ad tribunal ecclesiasticum adducebantur.

(19) CERBONI, *op. cit.*, lib. VII, cap. VII, § v, pag. 296.

(20) Cfr. MICHIELS, *op. cit.*, cap. III, art. I, II, pag. 31. Ipse, ut iam notavimus, mavult vocare *explicitum* quem communiter dicunt *expressum*, *implicitum* qui *tacitus* dicitur; uterque enim est expressus proprie loquendo.

tionis omissione quae aliter explicare nequit, nisi quia Superior consentit consuetudini; per oppositionem ad consensum *legalem* qui scientiam consuetudinis ex parte legislatoris non exigit, et ad consensum *tacitum* qui esset absolutum silentium, ex quo sciri non posset utrum legislator consuetudinem approbet aut eidem dissentiat (21).

* * *

18.—Consensum generalem seu legalem esse requisitum ac per se solum sufficientem in omni consuetudine ecclesiastica opinio communissima tenet. Antiquiores quaestionem movent et solvunt pro sufficientia consensus generalis, disserentes de consuetudine contra legem; moderni ad omne genus consuetudinis extendunt. Sic Bartholomaeus Brixiensis ait: “Sed credo quod consuetudo rationabilis et praescripta tollit leges, ut extra. de consuet. cap. ult. etiam sine scientia principis. difficile enim esset eum omnes consuetudines, quae servantur, scire” (22). Decretalitate antiquiores hunc consensum intelligebant permissionem populo factam ut possit inducere consuetudinem contra legem, quasi illi exhiberetur potestas abrogandi legem. Posteriores autem intelligunt praeviam et antecedentem *approbationem* omnium illarum consuetudinum quae inducentur rationabiles et legitimae praescriptae. Scilicet legislator voluntatem suam expressit in lege generali, qua consuetudines quae *unice* has duas condiciones habuerit, *rationabilitatem* et *legitimam praescriptionem*, ratas habet, et *imponit* servandas, ac proinde confirmationem illam antecedentem a legislatore habent ita ut omnes ex solo facto consuetudinis illo modo inductae absque aliquo Superiorum interventu teneantur nova obligatione introducta vel liberentur a vinculo legis per consuetudinem abrogatae. Postquam materia iuris usu populi iam sufficienter est promulgata, Ecclesia *obligatorio modo proponit* per legem, seu per illum praevium consensum legislatoris, qui huic usui postea inducti complementum iuridicum adiungit seu vim legis obligantis. Ideo

(21) COUSSET, *loc. cit.*, n. 394, pag. 370. In hoc sensu, ait, intelligenda sunt verba PIGNATELLI (*Consultationes canonicae*, tom. I, consult. xviii, n. 5): “Ad hoc ut consuetudo praevaleat adversus canones et leges pontificias, opus est ut introducta sit non solum cum scientia, sed etiam cum *expresso consensu* Summi Pontificis, ut prater Doctores tradit Rota”.

(22) GLOSSA ord., ante c. 4, D. IV, v. *Abrogatae*.

nullus alius consensus postulatur "nisi quod iure ipso... introduci queunt (consuetudines); et cursu temporis legitimo confirmatae sive ignorante sive annuente principe vim, et auctoritatem habent" (23).

"Plerique canonistae, ait Icard, ne quaestionem quidem ea de re movent, sed admittendo doctrinam communiter receptam duplicem distinguunt consuetudinem aequae legitimam, aliam quae via praescriptionis, ignorante principe, inducitur; alteram quae via conniventiae, sciente et annuente principe: nec aliud discrimen inter utramque assignant, nisi quod ad consuetudinem praescriptam requiratur certum temporis spatium, dum in secunda sufficit ut constet de assensu legislatoris" (24).

19.—Imprimis ea ratio suadet consensum legalem sufficere ad consuetudinem firmandam, quod optime Princeps potest statuere ut consuetudo habens illas vel illas condiciones efficax sit ad ius constituendum et pro lege ab omnibus servanda pro quibus inducitur; et hoc solo facto quod inductae sint illis conditionibus, quia facto illi vis iuridica accedit ex praevia voluntate legislatoris in lege contenta. Hoc autem factum fuisse in Iure Canonico extra dubium est: in cap. 11, X, *de consuetudine*, l. 1, 4 decernitur consuetudinem, quae fuerit rationabilis et legitime praescripta, vincere legem humanam, et pari ratione legem condere potest. Igitur nullus alius consensus requiritur ad consuetudinem iuris (25). Nam illas duas tantum condiciones exi-

(23) AZOR, *Institutiones Morales*, pars I, lib. IV, cap. XVIII, q. 9. Lugduni, 1610, tom. I, col. 443. Transcripta verba habet relate ad consuetudinem praeter legem. De consuetudine contra legem ait in cap. XVII, q. 8, col. 443: "Ad argumentum vero contrarium, Respondeo, consuetudinis vim et auctoritatem non ex sola populi voluntate proficisci, et pendere, sed ex tacito etiam principis consensu, non quidem eo, quem primae opinionis Auctores requirunt, nimirum ut consuetudinem contra legem Princeps sciat, ac toleret, sed eo, qui semper adest in tacita conditione, qua leges feruntur ad populum, et promulgantur. Lex enim ea conditione fertur, ut si usu recipiatur, vim habeat, et omnium conscientias obstringat; sin minus, neminem teneat. Similiter, cum lex est usu recepta, adhuc tacita conditione pendet, ut nisi contraria consuetudine abrogetur, vim suam retineat, sin minus amittat."

(24) H. J. ICARD, *op. cit.*, Prolegomena, § 2, n. 11, p. 15.

(25) Ita SUAREZ, *De Leg.*, lib. VII, cap. XIII, n. 68, pag. 543; SANCHEZ, *De Matrimonio*, tom. II, disp. IV, n. 11. Antverpiae, 1617, pag. 14; VERICELLI, *Tract. Morales, sive Tract. de Apostolicis Missionibus*, tit. II, q. 87, n. 12. Venetiis, 1656, pag. 213; PASSERINI, *loc. cit.*, art. VI, n. 180, p. 275; CASTRO PALAO, *Opus Morale*, Pars. I, tract. III, disp.

git praedicta lex ut consuetudo sit efficax: non autem ulteriore particularem consensum. Quod autem consuetudo sit rationabilis non habet ex eo quod legislator sciat illam et consentiat in eam, sed ex suo objecto et fine; esse autem praescriptam ex solo temporis lapsu pendet, sciat vel ignoret legislator. Ideo contra legem est aliam conditionem requirere praeter illas duas in lege taxative determinatas (26). Et quia sufficienter consensus per legem praestatur consuetudini cuilibet rationabili et legitime praescriptae, ideo a conditoribus legum non adiicitur tamquam conditio specialis requisita (27). In iure novo (can 25) apponitur quidem consensus Superioris tamquam conditio ad legitimam consuetudinem iuris, sed quod sufficiens sit consensus legalis constat ex facto quod in cc. 27 et 28 dicitur consuetudinem legem tollere aut inducere, si sit rationabilis et legitime per annos quadraginta praescripta (28). Sed praeterea cum exigit simpliciter *legislatoris* consensum quin huius naturam determinet, tale praescriptum vi can. 6 interpretari cogimur ad normam iuris antiqui et sententias probatorum interpretum, qui, paucis exceptis, sufficientiam consensus legalis docent (29).

III, punct. II, § IV, n. 3. Lugduni, 1700, tom. I, pag. 198; SALMANTICENSES, *Cursus Theol. Mor.*, tom. III, tract. XI, De Leg. cap. VI, punct. III, § V, n. 33, pag. 109. Matriti, 1718; SCHMALZGRUEBER, *Iudex Ecclesiasticus, seu Decretales Gregorii IX*, lib. I, tit. IV, § IV, n. 15. In golstadii, 1728. tom. I, pag. 53; MAUPIED, *Iuris Canonici Compendium*, pars I, cap. XIII. Ed. Migue, Parisiis, 1861, col. 83; ICARD, *loc. cit.*, pags. 15-16; WERNZ, *loc. cit.*, n. 188, pag. 288; MAROTO, *loc. cit.*, n. 252, pag. 268.

(26) PANORMITANUS, *Commentaria in V Libros Decretalium*, lib. I, tit. IV, cap. XI, n. 13. Lugduni, 1586, fol. 105; ENGEL, *Collegium Universi Iuris Canonici*, lib. I, tit. IV, n. 19, pag. 26. Beneventi, 1742; BONACINA, *Opera de Morali Theologia*, Tom. II, De Lege, disp. I, q. I, punct. IX, § II, n. 35. Lugduni, 1678, pags. 51-52; REIFFENSTUEL, *loc. cit.*, § V, nn. 137, 139; MAYR, *Trismegistus Iuris Pontificii Universi, seu Institutiones Canonicae*, lib. I, tit. IV, § II, punct. VI, n. 22. Augustae Vindelicorum, 1742, vol. I, pag. 152; CASTRO PALAO, *loc. cit.*— Idem quoad consuetudinem contra legem PIRHING, *loc. cit.*, n. xvj, pag. 106.

(27) MAYR, *loc. cit.*

(28) CHELODI-BERGNATOLLI, *loc. cit.*, n. 71, pag. 117; OJETTI, *loc. cit.*, pag. 173; CAPPELLO, *loc. cit.*, n. 111, pag. 115.

(29) D. IGLESIAS, *op. cit.*, pag. 400, not. (21). Canon 25 non dicit "consensu Legislatoris", sed "consensu Superioris". COCCHI (*op. cit.* n. 86, pag. 122) scribit: "a fortiori consensus legalis sufficit, nam per hunc habetur praevia approbatio legislatoris in ipso iure expressa". Quod non videtur satis conforme notioni quam ipse immediate antea dederat consensus legalis, qui consistit in hoc quod "ius concedit ut oriri possint consuetudines".

